

est iam hoc. Verum illud admirabile quod cum ex professo in libro de cibis boni & mali succi de his agat, & enumeret earum de- trimenta; quod scilicet sint graues coctio- ne, obstruant iecur, & lienis vias; distinguat in tres species optimas quas paretas vocat, & aduchuntur ex Syria Palestina, & pessimas Aegyptias & medias, non tamen memi- ni huius noxae, nec vbi de illo agit octauo de simplicibus medicamentis. Vbi aduer- tendum triplicem illius esse usum fructus, & est melior pars medullae interioris quam ce- rebrum palmae vocare solent & germinis quod vocant elateri quae deteriora sunt quod ad sanitatem attinet. Sed & in sexto de compositione medicamentorum secundum locos dat palmulas in his qui corrumpunt cibum, quamuis dixerit concoctu esse con- rumaces. Quin quod mirabilius est in eo- dem, secundo de compositione medicamen- torum. Secundum locos haec habet: [Quicun- que verò panem citra obsonium edere non possunt, his oliuas, aut palmulas, aut vuas, aut aliquid tale addemus.] Et loquitur in cura doloris capitis. Et in consilio pueri mor- bo comitiali laborantis: [Et ex arbore pal- ma daetyli, quorum comestionem penitus illi non interdico, sed opportunè & mode- ratè illis vti permitto: assidue autem, mul- tum illis vti minimè velim.] Respondeo dat palmulas in dolore capitis ex vitio stomachi: quia magis conferunt ventriculo, quam noceant capiti. Neque ratio valet, dolorem capitis faciunt, ergo comitialibus nocent habentibus dolorem capitis, quia in talibus praesupponitur capitis imbecillitas; nam in aliis non possunt generare dolorem & maxi- mè quae sunt optimae, & valde dulces.

CONTRAD. XXIII.

Febrim circuitus longitudinis accessio- nis & morbi cause, ex arte medendi parua.

Febrium circuitus causam intermit- tentium (nam eadem & par ratio est exacer- bationum continuarum, secundo de differenti- is febrium, quae accessionum in intermit- tentibus) describere videtur Galenus primo de febrium differentiis cum dixit. [Quod pu- trefcere naturam aptum est, semper ad conti- nua dispersitam habet caliditatem. Quem- admodum aliquando in agro conspexi excre- menta iumentorum simul ac columbarum, quaedam ex parte à sole adeò vehementer excalescunt, quod instar fumi multam eua- porationem in sublime emittebant, non pa- rum mordacem ac dolorificam: Et si quis proximè accessisset, nares oculosque laeden- tem. Ipsa etiam excrementa tangentibus adeò calida sentiebantur, ut qui longiori tempore manus & pedes admouisset exure- rentur. Non tamen continuè huiuscemodi casus perdurabat in die quae sequebatur; quicquid superiore die ad summum feruoris peruenerat, refrigerabatur: quod autem huic

continuum erat, dum prima pars quae calo- rem conceperat, in summo esset feruore, ipsum interim paulatim succensum, mox priori se feruore remittente iterum incal- ebat atque effervescebat, paulò post priori parte refrigerata, ipsum summum feruorem obtinebat, hocque rursus deferuescebat, dum pars continua paulatim succendebatur, quae paulò post vehementius accensa, ad sum- mum feruoris perueniebat: prior autem re- frigerabatur. Hic autem circuitus in vnus fere diei ac noctis spatio peragebatur, adeò ut res quotidiana febris, quam Graeci am- phimerinam appellant, propriissimum esset exemplum. Quod si duobus diebus ac nocti- bus idem circuitus factus fuisset, tunc febris tertianae eo modo fuisset exemplum: & si tribus, quartanae: & quatuor quintanae, si ta- men & quintana febris existat: ego enim nondum liquidò vidi, neque huiuscemodi circuitum, neque alium qui ultra quattuor- duaginta protenderetur. Sed de febribus quae per circuitum accessiones habent, postea dice- tur.] Quo autem in loco, certè, in secundo cum inquit. [Nihil igitur mirum, vel cere- brum, vel vniuersum aliquando caput acer- uatam in eis superfluitatè ad partes imbecil- liores expellere veluti aures, oculos, tempo- ra, labra, dentes, vel malas, vel palatum, vel gingiuas, ad gargareona, & paristhria, aut ad eos qui sunt in huiusmodi parti- bus, adenas: & cum nihil in istis imbecille constitit, ad thoracem, pulmonem, fau- ces, stomachum, ventriculum, fluxio delabi- tur. Sicuti igitur caput talium hominum morborum saepius est causa, ita & eas quae in hepate sunt ac splene inflammationes, aliqua partes vicinæ, vel etiam per Iouem ex remotioribus aliqua vna, vel plures gen- rat, auget, immittit, ac per circuitum ex- acerbatur. Neque mirandum est similem eisdem contigere affectum, qualis in excretionibus excrementorum ventris conspicitur. Sicuti igitur quisque quantum quaque die excerni- tur, intuens, si causam rei eisdem ignoret, ordinem miraretur: sic quemcunque latec superfluitatum in capite generationis atque excretionis causa, qua ratione nonnullae quidem ex ipsis ad exteriora; nonnullae ve- rò ad aliquem alium confluant locum, haer- ret atque miratur hanc confluxus proportio- nem. Sic & quicumque non nouit, neque quae partes materiam inutilem ad hepar transmittant, neque causam propter quam transmittant intelligit, miratur in febribus quae ex hepate accenduntur, ordinis propor- tionem. At qui nescius non est primam in- flammationis originem ex fluxione in hepar incidente prouenisse, ac quod deinceps ex- acerbetur, causam in ipsa parte patiente con- sistere, mirari iam desinit. Duplex autem est huius fluxionis occasio, altera quam nu- per diximus, quando materia inutilis ad im- becilliores partes ab aliis detruditur, altera quando eadem attrahitur, de qua iam ser- monem faciemus, sumpto hinc etiam ab illis initio, quae omnibus sunt manifesta.] In hac secunda authoritate vult Galenus causam abscessuum & generationis febrium esse de- fluxum materierum genitarum in membro